

neque in ipso actu quem prohibet (1).

Relate ad auctores quos pro se adversae sententiae patroni allegant, observant, in locis ab Reatino Commentatore citatis Salmanticenses nullo pacto propositam quaestionem agitare, sed quaerere: *utrum contractus matrimonii possit a ratione sacramenti separari?* quae profecto quaestio nil commune cum praesenti habet; allegari quapropter Salmanticensium auctoritatem non ad propositum.

Segrez e contra *De Censuris disp. XI, sect. III, n. 14*, quem locum Reatinus citat, definit quaestionem, quod is qui simulat actum ponere a lege proscriptum, quemque proinde reapse non ponit, poenas illatas non incurrit; cuius definitionis ratio est ex eo manifesta, quod actus a legislatore prohibitus non ponitur. At subsequentibus numeris Suaresius *ex professo docet*, nullo pacto necesse esse ut ad incurrendas poenas actus sit validus. Atque expresse affirmat, christianum qui matrimonium inivit cum consanguinea infideli, Clementinam excommunicationem incurere, quamvis matrimonium illud invalidum esset ob impedimentum disparitatis cultus.

Quantum ad Sanchez attinet, hic *De matrimonio lib. VII*, (et non lib. VIII, ut Reatinus citaverat) *disp. 48, n. 10* decernit nullimodis

excommunicationem incurri si vitio laboret consensus, quia legislator malam contrahentium voluntatem punire intendit; talem igitur consensum requiri, ex quo validum matrimonium exurgeret, si aliquo impedimento nullum non esset. Hanc autem doctrinam nullo pacto Reatini opinioni favere.

At ulterius Sanchez lib. III, disp. II, n. 2. inquit: Incurritur ne statuta poena si actus est invalidus? Atque respondet: « Prae- » mittenda est haec regula ad di- » scernendum, quando poenae actui » impositae incurrantur, licet actus » sit nullus. Aut enim lex conside- » rat tantum factum et animum fa- » cientis, non autem iuris effectum; » et tunc incurrantur poenae per » actum invalidum, quia attentatur » factum, et pravus animus adest. Aut » considerat iuris effectum, et tunc » non incurrantur, cum actus ille iu- » ris effectum sortitus minime sit. »

At si eiusmodi doctrina nostrae quaestioni applicetur, certum est undequaque, Legislatorem non potuisse considerare tantummodo factum aut iuris effectum, matrimonium scilicet validum; hoc enim ob ordinis vel solemne castitatis votum semper invalidum fuisse; ergo considerare debuit, poenisque plectere factum sine iuris effectu, scilicet intentionem contrahentium. Ex quibus sequitur, Sanchez auctoritatem nihil praedictae opinioni favere.

(2) Appliquez ici la règle dont se prévaut le Commentateur de Rieti; et l'excommunication de la Constitution *Apostolicae Sedis* sera abolie par le fait même.

4°. Negant autem in hisce factis deesse *matrimonii figuram* eiusmodi exemplo. Si Presbyter, aut Religiosus professus Parocho adstant ut matrimonium contrahant cum consanguinea aut affini, et Parochus duplex impedimentum ignorans, matrimonio illi benediceret, numne in eiusmodi contractu *deesset matrimonii figura?*

5°. Pariter minime ratiocinia admittunt a cl. Commentatore Patavino adducta. Primum enim respuunt ex quo nullo pacto necessarium sit, ut matrimonium sit aliunde validum, cum matrimonium eiusmodi semper uti invalidum haberi debeat.

Subsidiarium autem esse principium: *in obscuris minimum est sequendum*, adhibendum scilicet casu quo aliunde de veritate satis non constat, primum enim et absolutum illud esse quod sub regula 45 proponitur: *Inspicimus in obscuris quod verisimilius est, vel quod plerumque fieri consuevit*; qua de causa si vel ex circumstantiis, vel ex verbis legis, vel ex fine quem sibi Legislator proposuit sensus legis deprehendatur, relatum principium subsidiarium locum non habere certissimum est, atque nullum interpretem adhuc probasse constat adhibendum esse in re principium *in obscuris quod minimum est sequendum*, etenim sive finis a legislatore intentus, sive verba quibus lex exprimitur, sive circumstantiae legis obscuritatem in re excludunt.

Falsum denique esse sive omnes modernos Commentatores Constitutionis Pianae, sive antiquos Clementinae legis Commentatores propositae ab Reatino sententiae adhaerere: Quoad illos enim septem habentur auctores, quos inter Avanzinius noster, qui contrarium defendunt; cum enim hi affirmant, excommunicationem eos Clericos in sacris constitutos, vel religiosos solemniter professos incurere, qui contrahere matrimonium civile non verentur, multo magis hi dicendi sunt eandem sententiam tenere, cum matrimonium ab personis huiusmodi contractum aliquo alio impedimento teneatur, quam impedimento clandestinitatis; etenim hoc in casu contractus ille evidentiorum matrimonii figuram habet; deesse hinc recentiorum Commentatorum consensum.

Sed deesse etiam consensum Commentatorum Clementinae *Eos qui certum omnino esse*. Etenim auctores hi quamvis quaestionem expresse non proponant, docent tamen expresse, incurere excommunicationem omnes qui Clementinum Canonem violantes matrimonium contraherent cum impedimento disparitatis cultus; ergo et cum alio impedimento quolibet dirimente; atque eiusmodi sententiam tum Suaresium *Tract. de Censuris disp. 23, sect. V. n. 11*. tenere, tum Bonacinam *De Excommun. in part. quaest. II. puncto VII, n. 20*.

Rosignoli vero in *Tractatu de*

*Ordinibus Ecclesiasticis, part. II, quaest. VI, art. XV, n. 4. et 5.* quaestionem directe proponere atque huiusmodi dirimere.

« Quid si contraxerit matrimonium ex alio defectu substantiali » invalidum? Absolute sentiendum » est contrahere excommunicationem istam latam in dicta clementina unica *De consanguin. et affin.* et in hoc consentire videtur Covarruvias *De matrimonio part. II, cap. VI, §. 3. n. 5.* dum asserit, contrahentem matrimonium invalidum, dum est in sacris constitutus, privari beneficiis. Rationem ex eo deduco, primo » quia ex invaliditate praecise matrimonii non demitur illa poena » excommunicationis, si quidem eo » ipso, quo quis in sacris constitutus contrahit matrimonium, hoc » ex dispositione iuris est invalidum.

» Dicere deinde, quod haec invaliditas proveniens ex Ordinibus » sacris non consideretur ad eximendum a poena, cum haec propter ipsam contrahatur, non videtur evacuare difficultatem, quandoquidem si ratio adversantium, » ob quam asserunt contrahentem » matrimonium ex alio capite invalidum non contrahere hanc excommunicationem, est, quia illud » matrimonium non est matrimonium, etiam in hoc casu matrimonium contractum per constitutum in sacris non est proprie » matrimonium.

» Quod deinde in hoc secundo » casu excommunicatio imponatur » ob illud attentatum contrahendi, » dum est impeditus voto, nil videtur officere, cum maius sit attentatum contra dispositionem iuris contrahere invalide (etiam) ex alio capite, quam contrahere invalide ex hoc solum capite, et mens iurium prohibentium sub tali poena est retrahere ab eo, » quod est contra castitatem professam, et non minus est contra hanc contrahere invalide ex hoc quam ex alio capite.

» Secundo rationem ex eo deduco, quod gravius est delictum » contrahere matrimonium ex hoc, » et ex alio capite invalidum, quam contrahere praecise invalide ex hoc capite, cum vere intendat in utroque casu matrimonium contrahere. Ergo si in hoc casu contrahitur excommunicatio, et in illo contrahi censenda est, cum in illo etiam habeat figuram matrimonii.

» Nec ob stare potest, si dicatur iura gravius punire delictum ipsum formale, quam conatum ad delictum; in hac autem hypothese esset solum conatus ad delictum, non ipsum delictum, cum matrimonium esset invalidum. Non, inquam, ob stare potest; quia delictum, ob quod imponitur talis poena, consistit in eo, quod constitutus in sacris medio matrimonii violet votum castitatis annexum eisdem sacris

» ordinibus. Hoc autem praestat » sive per matrimonium invalidum » ex hoc, vel alio capite, cum » semper praeferat figuram matrimonii ».

Quibus relatis, affirmant citatae Ephemeridis Scriptores, ratiocinium Rosignoli conforme reperiri tum literali legis sensui, tum legis fini; literali quidem sensui, quia habetur conatus ad matrimonium, fini autem legis, quia legislator animum intendit, poenis scilicet punire violationem voti castitatis.

Addunt, contrariam sententiam ad absurda conducere. Si enim duo presbyteri, vel duo religiosi professi matrimonium contrahere attentarent cum mulieribus, quarum una matrimonio copulata sit, alia lege viri soluta, sequeretur eum quidem qui cum hac contrahit excommunicationem incurrere, minime alium, quamvis castitatis votum gravius violet. Id autem absurditatem redolere.

Non inficiamus quaestionem gravissimam esse, eamque speculativis argumentis difficile resolveri; quin igitur eam resolvere nostri ingenii mediocritate praesumamus, nonnulla lectorum nostrorum iudicio consideranda proponimus, de quibus ipsi sententiam ferant.

Et 1<sup>o</sup> negari non posse videtur, Clementinam loqui de matrimonio, quod communiter verum matrimonium censebatur, quamvis per se nullum esset ob Ordinis vel voti impedimentum, scilicet de actu illo

quo contrahentes generaliter vero et proprie dicto matrimonio sese obstringebant si nullum intercessisset impedimentum dirimens; hinc vocabulum matrimonium stricto sensu in Clementina esse accipiendum, et a Doctoribus fuisse acceptum, pro actu illo scilicet, quo contrahentes matrimonia contrahere solebant; aliae enim coniunctiones non matrimonium sed concubitus, illicitae coitiones, illiciti concubitus appellari solebant et habebantur, quocumque demum modo initae fuerint.

Certum pariter est, Pium Papam IX Clementinam legem renovasse.

Atqui cum aliquod dirimens impedimentum in matrimonio aliquo intercedit, quodque in propatulo sit, nemo coniunctionem illam uti matrimonium habet; ergo de matrimoniis quibus aliquod aliud subisset impedimentum dirimens, ad animum, sicut Clemens VIII ita Pius IX qui eadem verba adhibuit, loqui non potuit.

Neque obstat, S. Officii Congregationem, ut inferius videbimus, die 22 Decembris 1880 decrevisse incurri hanc excommunicationem, si contrahatur matrimonium civile; extensio enim legis est; atque deinceps potius Reatini sententiae quam adversae eiusmodi decretum favet; ad unum enim civile matrimonium Pianum Caput extendit, non ad alias quamvis illegitimas et invalidas matrimoniales coniunctiones; at si qui Clericus vel Religio-

sus coram Parocho et testibus ubi Tridentinum Coput receptum est, matrimonium contrahere praesumerent cum alio impedimento dirimente, hi dici non possunt contraxisse matrimonium civile: ad hos igitur Congregationis S. Officii decretum extendi non posset; aliae igitur maritales coniunctiones in eo statu etiam nunc manent, in quo prius erant; cum itaque matrimonii nomine antea venirent ritus, quo vir et foemina vero matrimonio sese copulare intendebant; ritus autem matrimonialis, cui obsesset impedimentum dirimens numquam matrimonium vocabatur vel erat, ergo de hisce matrimoniis legislatores citati locuti fuisse vel dicendi non sunt, vel saltem merito dubitare possumus an de illis locuti fuerint.

2° Negari non potest pariter, legem hanc esse odiosam, non extendendam consequenter ultra *in verborum sensum: per matrimonium* autem intelligi debet usitatum et lege ecclesiastica vel praescriptum, vel permissum, ut matrimonia clandestina in locis ubi Tridentina lex recepta non fuit, quique ritus proinde verum matrimonium conficeret, nisi aliud obstet: at certum est matrimonium aliunde nullum, nullo iure matrimonium vocari.

3° Utique matrimonium, de quo agimus nullum est ratione ordinis aut voti; at primo Legislator hoc impedimento irretitis matrimonium attentare prohibet; nisi enim eius-

modi impedimento irretiti essent matrimonium contrahere non potuissent prohiberi; de unico ergo impedimento ordinis aut voti legislator videtur rationem habuisse.

Secundo, quaestio non in eversaatur, utrum matrimonia eiusmodi sint, nec ne valida; Legislatores enim noverant, et cuncti noverant invalida prorsus esse, sed in eo: utrum legislatores incluserint etiam cetera quaeque dirimentia impedimenta, hasque coniunctiones *matrimonii* titulo honestaverint. Id vero ab adversariis Reatinae sententiae probatum non fuit, et nescimus quomodo probari possit.

4° De Legislatoris intentione complectendi sub matrimonii nomine alias coniunctiones aliunde, nullas, non constat ex sensu verborum, ut patet; non ex circumstantiis latae legis, quas adversarii non adducunt, quaeque ex textu non deprehendantur; non ex fine a Legislatore intento, qui cum fuerit castitatem in Clericis et monachis sartam tectamque servare, ut praefati scriptores affirmant, debuisset sub eadem excommunicatione etiam concubinitum, aliasque impudicas consuetudines comprehendere quae nullam matrimonii figuram praeseferebant.

Hinc in re non incongrue adoptari principium: *In obscuris vel dubiis, quod minimum est sequendum.* Ut enim ratiocinatur Reiffenstuel Regula XXX n. 4. « Quando » in lege, statuto, aut alia dispositione sensus ita obscurus est, ut

» neque ex natura actus, neque ex » antecedente aut subsequente lenore verborum, neque ex consuetudine loci, nec ex aliis circumstantiis vera legislatoris, vel » aliter disponentis voluntas ac intentione, saltem verisimiliter satis » appareat, id, quod minimum, » hoc est, quod minus obligat » vel gravat, sentire debemus. Ratio est, tum quia iura proniora » sunt ad liberandum quam obligant » dum, magisque inclinant ad minuentam quam augendam obligationem; tum quia sequendo minimum minus errandi periculum » est. » At in Clementina et Piana lege sensum esse obscurum, ita ut nullo modo deprehendi possit, ex hoc uno patet quod secus antiqui et novi iuris interpretes in oppositas sententias non abiissent.

5° Rationes a Rosignoli adductas peccare contra notissimum effatum; *legem scilicet odiosam non esse extendendam de casu in casu neque ob rationis paritatem*, ut allatum testimonium consideranti patebit.

6° Hinc corruere quae postremo loco adducunt clarissimi Scriptores *de la Nouvelle Revue Théologique*, scilicet ad absurda praedictam sententiam adducere; quandoquidem in lege odiosa, nullam absurditatem inducit exclusio gravioris peccati ab latis poenis, si sub lege comprehensum ab legislatore non constet: nonne ex. gr. gravius peccat qui bestialitatem, quam qui adulterium committit? At si Pontifex

excommunicatione feriisset Clericos in sacris constitutos, vel religiosos solemniter professos, qui adulterium committerent, num ne sub eadem poena comprehendi possent bestialitatem committentes? nequaquam.

7° Neque valde certum est, coniunctiones eiusmodi habere matrimonii figuram, aut ex hac necessario excommunicationem inferri. Primo enim eiusmodi argumentum in quaestionem recidit, cum quaestio sit: an omnis coniunctio quae habeat matrimonii figuram excommunicationi Piana subiiciatur: secundo, quia incertum est: an coniunctiones maritales cum aliquo impedimento dirimente ab eo diverso quod legislator lege proclamat, habeant matrimonii figuram: usu autem communi eiusmodi coniunctiones matrimonia nulla vocantur; deum, nonne matrimonium illud, quod coram Parocho et testibus inicitur, at sine consensu alterutrius contrahentis, habet matrimonii figuram? Attamen scriptores citatae Ephemeridis illud contrahi sine excommunicatione fatentur. Neque subsumant, matrimonium illud nullum esse ob defectum consensus, iura vero in re aperta esse; nam etiam iura docent, impedimento dirimenti contractum matrimonium nullum esse; atque deinceps nos loquimur de matrimonii figura, quae in allegato exemplo integra habetur, non de matrimonii valore.

8° Si septem Commentatores Constitutionis *Apostolicae Sedis* con-

trariam sententiam tuentur, plusquam septem iique validiores fortasse, Reatini sententiam propugnant. Hi autem supponendi non sunt falsa prorsus voluisse defendere et sine ratione locuti.

9° Antiquiores autem sive Clementinae legis expositores, sive alii auctores qui in re scripserunt, non omnes certe adstipulantur scriptoribus de *la Nouvelle Revue*. Id potuissent primo loco intelligere ex allegato Rosignoli testimonio, qui dicit: *Si ratio adversantium ob quam asserunt contrahentem matrimonium ex alio capite invalidum etc.*; ex quibus patet adfuisse scriptores contrarios; secundo intelligere potuissent ex Bonacina loco ab ipsis citato, in quo contrarium defendit. Quaerit enim prorsus n. 20. « Utrum contrahens cum aliquo impedimento dirimente, ultra quinque casus in hac Clementina expressos incurrat istam excommunicationem, ut si contrahat cum infideli consanguinea, cum cognata cognatione legali aut spiritali vel cum impedimento publicae honestatis, vel simili? »

» Respondeo non incurrere. Ratio est quia dispositio poenalis extendenda non est ultra casus in ea expressos. Ita Caietanus *verbo excommunicatio cap. 47*: Glossa *hic verbo eos*. Navarr. et Sylvest. *loc. cit.* Tabiena, et alii apud Sanchez *loc. cit. num. 12*. Existimo tamen, contrahentem cum infideli consanguinea infra quar-

» tum gradum incidere in hanc censuram, non quatenus contrahit cum infideli, sed quatenus celebrat matrimonium in casibus in hac Clementina prohibitis. »

Non pauci igitur Scriptores antiqui affirmarunt, Clementinae excommunicationi eos non subiici qui matrimonium in re contraxissent cum alio aliquo dirimente impedimento; plures autem Commentatores idipsum de Piana Constitutione sentire. Sententia igitur a clarissimis scriptoribus de *la Nouvelle Revue* certa non est neque ob clarum iuris textum, neque ob expositorum, interpretum, et doctorum unanimem consensum, neque ob rationis praesidium.

Dicere tamen non audeamus sententiam a Reatino propugnatam adeo certam esse, ut dubium quodlibet excludat; eam tamen prae alia solidiorem esse, fortasse non insipienter putamus. Hinc quaestio principio reflexo non semel in nostris Commentariis allegato dirimendam esse; legem scilicet in re dubiam esse; atque Reatini commentatoris sententiam intrinsece et extrinsece probabilem esse; hinc cum in praxi certum principium sit, neminem uti excommunicatum esse habendum, si ratio vere probabilis eum excommunicatione exemptum pronuntiet, Clerici in Sacris constituti et Religiosi post votum solemne castitatis non sunt de excommunicatione damnandi si matrimonium contrahere praesumant, in quo di-

rimens impedimentum existat ab impedimento ordinis vel professae castitatis diversum; idque tenendum usque dum Supremi Ecclesiae Principes contrarium expresse non discernant.

Quaerebant insuper Commentatores, an excommunicationem hanc

incurrerent Clerici in sacris constituti, vel Religiosi solemniter professi, si matrimonium clandestinum, quod vulgo *civile* dicitur contrahere praesumerent; atque dum concordantes erant in illa admittenda, ubi Tridentinum Caput *Tametsi* (1) receptum non fuerat; in contrarias

(1) Porro ita Tridentinum decretum legitur Sess. XXIV Cap. 1 de Reformat. Matrimonii: « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse, nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priori uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio, vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia quae de occultis non iudicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco S. Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium paroco tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimam opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiae procedatur, ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impedi posse, si tot praecesserint denunciations, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem paroco et duobus vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciations in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire indicaverit, ut praedictae denunciations remittantur, quod illius prudentiae et iudicio sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam praesente Paroco, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero et testes, qui sine Paroco vel Sacerdote huiusmodi contracti interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. »